

1380 omnem suam, omne votum reponere. Ipsi viderent, quid precibus, quid lacrymis, quid demum miseris & afflictis sit præstandum. Nam humanae viciis oblitos esse eos, qui totiens adversa experti sint, neque credere se, neque si omnia extrema passuri sint, credituros unquam. Nullum mite responsum est redditum nisi, ut certo scirent, se paulo post in vincula ituros: tum Patres de eorum vita & morte maturius consulturos. Interim æquum videri, in tenebris, in servitute eum esse, qui dum odium & iram sequitur, propriam libertatem abjecerit. Irent igitur, & ne hoc reliquum munus amitterent; ac quod facturi essent, cito facerent. In urbem reversi omnia tristia renunciant, amissionem rerum omnium, vincula, carcerem, vitæ etiam discriminem. Verum urgenti fame (nam erant qui pluribus diebus panem non viderant) placuit qualemcunque deditioñem fieri potius, quam inedia extingui. Sublato itaque alta turri vexillo, confestim Ligustica classis ex sua statione in conspectum urbis venit: tum repente illud ab iis qui in urbe erant, est suppressum. Ad quod signum perculsi, qui in navibus erant, variis modis tentarunt suos ad spem erigere. Ad quæ quum nihil illi respondissent, tum demum de suis, deque urbe actum esse senserunt. Tristes ac mœsti ad Fossiones se recipiunt. Missi interim a ducibus in urbem, qui militem a Genuensi seperarent, prædamque omnem unum in locum cogerent. Habito delectu, quatuor millia hominum in Venetorum potestatem venerunt, quorum tria millia Genuensium fuisse dicuntur, Patavini ducenti, Carni quam paucissimi, reliqui Dalmatæ Illyricique nominis, ac Græci quoque non pauci: omnes Venetias in custodiam adducti. Milites exuti armis, a militibus dimissi sunt: omnis præda ad fanum Virginis congregata, biduo sub hasta Venetis licitantibus veniit. Partita inter milites pecunia, ductores urbem Veneto restituunt. Sic Clodium decimo mense, ex quo a Genuen-

Clodia ca-  
pta & dire-  
pta.